



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 55. Concilium Romanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Romam delatus novus Pontifex *Æra* *Sæculum XI.*
 rium Apostolicum vacuum invenit; *A.C. 1049.*
 cunia vero, quam domo tulerat, tum in
 itineris expensas, tum in eleemosynas
 erogata fuerat. Sed & omnes, qui cum
 Leone ex Germania venerant, inopia
 premebat, cum ecce, illa die, qua eum
 clam relinquere & fugere constituerant,
 adsunt Nuncii a viris nobilibus provin-
 ciæ Beneventanæ missi pretiosa dona fe-
 rentes ad Papam, cujus Benedictionem
 & tutelam sibi deposcebant. Ille modi-
 cam fidem suis exprobravit, docens ex
 hoc exemplo, de ope Divina nunquam
 esse desperandum. Exinde cum S. Leo-
 nis fama Romam ingentem multitudinem
 peregrinorum pertraheret, oblationes
 copiosissimas ad ejus pedes profunden-
 tium, nulla re vel sibi vel suis reservata,
 omnia in pauperes dispergebat.

§. LV.

Concilium Romanum.

Secunda septimana post Festum Resurre-
 ctionis, quod anno millesimo quadra-
 gesimo nono in diem vigesimam sextam
 Martii inciderat, Leo IX. Papa Conci-
 lium Romæ celebravit, quo non solum
 Episcopis Italiæ, sed etiam Galliæ convo-
 catis, omnes Ordinationes Simoniacorum
 nullas declaravit. Magnum vero
 hæc Constitutio tumultum excitavit;
 nam

tom. 9. Conc.
p. 1049.
Herm. Chr.
1049.

Sæculum XI. A.C. 1049 nam Presbyteri, quin & Episcopi, querebantur, ita fore, ut Ministeria Ecclesiastica, præsertim Missæ, in cunctis prope Ecclesiis cessarent, quod Fideles ad desperandum impelleret, & ipsam Religionem Christianam perditum iret. Postquam diu multumque disputatum, Papa obtulerunt Clementis II. Decretum, in quo statuebatur, ut Simoniace ordinatis, si quadraginta dierum poenitentiam egissent, Ministerio Ordinis sui fungi liceret. Cui Leo IX. acquiescendum esse credit. In eodem Concilio constituit, ut omnes Clerici, qui relictis Hæreticis ad sinum Ecclesiæ Catholicæ redirent, suum quidem Ordinem servarent, sed ad superiorem promoveri non possent.

In eodem Concilio Papa ratam habuit Joannis Episcopi Tusculanensis ad Sedem Portuensem Translationem tanquam utilem quin & necessariam, eique & Successoribus ipsius omnia Bona Ecclesiæ Portuensis, atque inter alia Insulam S. Bartholomæi Romæ, de qua cum ipso Episcopus S. Sabinæ litigabat, de jure competere pronunciavit. Eidem Papa jus pristinum, nempe Ministerium Episcopale ultra Tiberim administrandi, confirmavit. Unde cognoscimus, Diocesim Romanam ultra moenia non fuisse extensam. Ista discimus ex Bulla, data vigesima secunda Aprilis, anno millesimo qua-

quadragesimo nono Indictione secunda, Sæculum XI.
cui Episcopi quindecim, & duo primi A.C. 1049.
Eberhardus Archiepiscopus Trevirensis,
& Halinardus Lugdunensis subscripserunt.

Præter istud Concilium Papa & aliud
celebravit Ticini in Hebdomada Pente-
costes, quod Festum hoc anno in decimam *Herm. Chro.*
quartam Maji incidebat. Inde, monte
Jovis superato, Alpes transgressus, mul-
tis Romanis Pontificem sequentibus, in
Germaniam ad Imperatorem se contu-
lit, quocum Festum S. Petri Coloniae ce-
lebravit. In illo itinere S. Leo Decre-
tum Exemptionis Abbatiae Cluniacensis,
Bulla undecima Junii data, & data, & ad
Hugonem Abbatem (nam abhinc mensi-
bus sex S. Odilo animam Deo reddiderat)
directa, confirmavit.

§. LVI.

S. Odilonis Extrema.

Sanctus Odilo per ultimos quinque vitæ *vit. c. 14.*
suæ annos acerbis morbi doloribus *Sæc. 6. Ben*
afflictus, cum mortis tempus imminere *p. 688.*
ominaretur, iter Romam suscepit, spe-
rans, se sub tutela Apostolorum, quod
unice in votis fuerat, ex hac vita migra-
tuum. Mansit ibi mensibus quatuor,
graviter decumbens, Clemente II. Papa
clavum Ecclesiæ tenente, qui ægrotum
sæpe invisebat, & multis colloquiis sola-
batur. Multi quoque Monachi Clerici-
que, quos inter scientia eminebat Lau-
rentius